

qui fidei lumine illustratur, nam quæcumque oculis, foris contemplatur, aut naturali etiam ratione ex eisdem venatur, in Deum creatorem, atque ad eius potentiam, sapientiam, & bonitatem contemplandam omnia referre conatur, iuxta illud ad Rom. *Inuisibilia Dei, &c.* de his vide Titelmannum: Apud paganos verò etiam cognitio rerum naturalium est valde utilis, in quantum per eam devenitur ad varias proprietates effectuum naturalium dignoscendas, & plurimum utilis est maxime medicis. Quoad utilitatem ex parte addiscentis nihil potest certi assignari, alius enim eam addiscit, ut fiat medicus, indeque lucretur pecuniam, alius ut sibi complaceat in rerum naturalium speculatione, alius ad alium finem, pro libito, inquam, vniuscuiusque.

Num. 10.
De eius divisione.

Demum pro divisione totius doctrinæ naturalis non aliunde commodius eam peti potest posse quam ex eius obiecto, diximus itaque obiectum totius Physicæ esse corpus naturale, unde ut recte ait Toletus hic, sicut syllogismus dupliciter consideratur in Logica, primo vniuersaliter sumptus, & ut comprehendens omnes suas species, & partes. Secundo non vniuersaliter sumptus, sed simpliciter, id est solum, ut syllogismus est, & sub ratione communi consideratus: Primo modo syllogismus est obiectum totius Logicæ: Secundo modo est solum obiectum librorum priorum, ita nunc corpus naturale potest considerari vniuersaliter cum suis

omnibus speciebus, & partibus, quo pacto totius Physicæ est obiectum, id est non modo librorum de ascultatione, sed etiam librorum de celo Meteoris, &c.

Secundo potest considerari præcisè, & sub illa ratione communi, sub qua solum ponitur obiectum horum librorum, postea verò aliæ partes habent peculiaria sua obiecta, nempe particularem speciem entis naturalis, libri enim de celo, & mundo habent pro obiecto ens naturale, prout est mobile ad *Ubi* libri de generatione ens naturale mobile ad formam in generali, libri Meteororum ens naturale mobile ad formam imperfecti mixti: libri de Mineralibus ens naturale mobile ad formam mixti perfecti inanimati: libri de anima ens naturale mobile ad formam perfecti mixti animati in generali, de quibus omnibus agendum nobis est, exceptis tamen Meteoris, & Mineralibus, non enim suscepimus in nostris Disputationibus, nisi grauiores materias, & difficultates pertractandas, at Meteoris, & Mineralia potius modo relatiuo quam altercatiue debent proponi, quare satis erit in nostra succincta Philosophia in fine harum Philosophicarum Disputationum collocanda de dictis Meteoris, & Mineralibus habere sermionem, item & de Moralibus, si quæ tamen alicuius momenti sint controversiæ ad materiam moralem spectantes (intellige moralem naturalem, nam de spectantibus ad moralem Theologicam agetur in Theologia) in moralibus explanabuntur.



DISPUTATIO SECUNDA.

DE

PRINCIPIIS PHYSICIS.

Aperitur Disputationis status.

De quibus agendum in hac disputatione.

Sic procedam in hac disputatione: *Primo* agam de principiis Physicis in vniuersum. *Secundo* de quolibet eorum in particulari, circa primum non multum immorabor, inquiram enim tantum quot sint principia Physica, cætera enim tantum breuiter tangam, quia de illis ita abundè dixere Philosophi, ut nihil nobis de nouo dicendum reliquerint.

Ite ergo sequentiū partitionum erit ordo. *Prima* erit de principiis Physicis in vniuersum.

Secunda de quibusdam minutoribus materiæ primæ difficultatibus.

In *tertia*, an materia prima ita sit pura potentia, ut nullum omnino dicat actum, sedulò perquiremus.

In *quarta*, reliqua spectantia ad materiam primam expedientur.

Quinta formam substantialem, eamque concernentia inuestigabit.

Sexta, an formæ substantiales habeant propriam substantiam, perquiret.

Septima, in explicanda natura priuationis Physicæ derinebitur.

SUMMA

Dicendorum in hac disputatione secunda.

NUMERO primo proponitur doctrina communi circa principia Physica. Num. 2. Per quam genera causarum demonstrat quælibet scientia? Num. 3. Explicatur definitio Physicorum principiorum. Num. 4. Quomodo Physica principia dicantur contraria, & semper manere? Num. 5. De numero principiorum Physicorum. Num. 6. Ternarius principiorum Physicorum numerus non ita approbatur. Num. 7. Forma, & priuatio debent dici principia tantum secundum quid. Num. 8. Probatum dari materiam primam. Num. 9. Quod materia prima de se sit cognoscibilis. Num. 10. Quod materia sit in generabilis, & incorruptibilis. Num. 11. Ponuntur viginti rationes probantes materiam primam non habere actum entitatum. Num. 17. Ponuntur decem rationes probantes quod materia prima